



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbatibvs, Prioribvs, & universis exemptarum Ecclesiarum Praelatis in  
Mediolanensi provincia constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

520 Epistolarum Innocentij III.

quam nobis Deus, licet indignis, ligandi & solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in personis propriis subierint & expensis, plenam suorum peccatorum, de quibus cordis & oris egerint penitentiam, veniam indulgemus, & in retributionem justorum salutis aeternae pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantum expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinarent illic per annum moraturos ad minus, & illis similiter qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumpta peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidij & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terrae de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum & bona, ex quo crucem suscepint, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, necnon & sub Archiepiscoporum & omnium Praelatorum Ecclesiae Dei defensione consistant, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel redditu certissime cognoscatur, integra maneant, & quieta consistant. Quod si quisquam contra presumperit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui verò proficisciuntur illuc ad praestandas usuras juramento tenentur astredi, creditores eorum per Ecclesiarum Praelatos, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus distictione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Iudeos verò ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli præcipimus potestatem, & donec eas remiserint, ab universis Christi fidelibus, tam in mercioniis, quam alii, per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Datum Laterani II. Nonas Ianuarij.

In eundem modum scriptum est super hoc universis Christi fidelibus per supradicta regna & provincias constitutis.

ABBATIBVS, PRIORIBVS,  
& universis exemptarum Ecclesiarum Praelatis in Mediolanensi provincia constitutis.

F Ormam apostolicae constitutionis nuper salubriter editam pro subsidio terra sanctæ, ex communibus litteris, quas in singulas provincias destinamus, intelligere poteritis evidenter. Monemus igitur discretionem vestram & exhortamur in Domino, & per apostolica scripta in virtute sancti Spiritus sub divini judicij obtestatione præcipiendo mandamus, quatenus ad citationem diocesanorum Episcoporum, quam per eos non sua sed nostra fieri auctoritate mandamus, devotè ac humiliter accedentes, juxta formam in litteris nostris expressam, quadragesimam saltem omnium ecclesiasticorum proventuum & reddituum vestrorum in terra sanctæ subsidium convertatis, ut ejus sitis remissionis participes quam propter hoc alii indulgemus. Alioquin contemptum nostrum, immo redemptoris, in vos tanto severius curabimus vindicare, quanto specialius vos diligimus, & in caritatis operibus alios volumus prævenire. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij.

Scriptum est super hoc in eundem modum universis Abbatibus, Prioribus, & exemptarum Ecclesiarum Praelatis in supradictis provinciis constitutis.

TYRENSI ARCHIEPISCOPO,  
& Episcopo Sydoniensi.

C Vm S. quondam Prior sancti Michaelis & A. Canonicus Tripolitan, nuntij Ecclesiae Tripolitan, & N. & P. nuntij dilectorum filiorum fratrum Hospitalis Hierosolymitan. pro quaestione quæ vertebatur inter ipsos super Ecclesia de Nefins, & decimis ejus, ac tribus casalibus quæ occasione litterarum bona memoria C. Papæ prædecessoris nostri ab Hospitalariis occupata temere dicebantur, ad nostram dudum præsentiam accessissent, postquam in præsentia venerabilis fratri nostri P. Portuen. Episcopi & dilectorum filiorum G. tituli sanctæ Mariae Trans Tyberim Presbyteri & G. sancti Angeli Diaconi Cardinalium, quos partibus dedimus auditores, ab eis fuit diutius litigatum, & nos utrinque proposita ex fideli relatione Cardinalium prædictorum intelleximus

Epist. 171.  
Vt quadragesima  
mon omnium  
bonorum suo-  
rum ad factum  
bellum confe-  
rant.  
Vide infra  
epist. 305.

Epist. 173.  
Commititur  
illis causa que  
vertebatur in-  
ter Ecclesiam  
Tripolit. &  
Hospitalarior.  
Vide supra  
lib. 1. epist. 73.